



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

IV. Forma quam in Coena sua obseruant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

lant) non aliam ob causam celebrandam dicunt, quam ad mutuam inter Christianos charitatem confirmandam, & memoriā passionis Dominicæ recolendam. Forma eius celebrandæ in Ceremonijs quam fide aut doctrina similis fere est ei qua apud novos Evangelicos, quos nonnulli Reformatos, nos Calvinistas appellamus, observatur. Hoc ipsum Pradicantes Lutherani Anno MDLXI. Calvinistas à Senatu, quum septennium iam ibi commorati essent, eiecit. exprobarunt, quod scilicet eundem quem Anabaptista errorem fouerent. Communionem enim corporis & sanguinis Iesu Christi, quam Calvinista statuant fideles quotidie etiam extra Cœnam Domini frui, exceptis tantum signis externis, qua sunt panis & vinum sanctificatum.

IV. Anabaptista Cœnam celebraturi, superintendentes quosdam seu inspectores habent, qui tempus indicunt. Cœtu congregato, unus Euangelium legit, lingua vulgari. Interim Pastor suggestum conscendit, & Bibliorum codicem ante se pluteo imponit. Psalmos non decantant, ut plerique omnes alij Evangelici. (a) Aiunt enim, id ab Apostolis nusquam mandatum, nec permissum ut maribus & feminis permissis vocibus ac sonitu templa implerent. Factis precibus, Pastor locum aliquem scripturae explicat. Sermone finito, de pane & vino exiguam particulam ad singulos fratres circumfert, qui omnes suis quisque locis stantes, & capitibus nudi conticent. Panis hanc particulam singulis manibus tantisper tenent, dum Pastor ad locum suum reuersus, pro se quoque particulam accipit. Tum ille longa oratione mysterium hoc explicat, ac tandem, Mei fratres, inquit, Accipite, manducate, & annunciate mortem Domini. Sic igitur singuli bucellam deglutiunt, & suum Christum fide accipiunt. Deinde eodem modo vinum circumfert, inquit, Bibite in nomine Christi ad commemorationem effusi sui sanguinis. Fit saepenumero ut hæc ratione integrum diem absoluant, Deo gratias agendo, precando, meditando, ac lacrymas precibus miscendo, ut Anabaptista ipsi mihi narrarunt. Licet autem cum Zuinglio credant, nihil in hoc Sacramento esse præter solum panem, nec corpus Christi aliter quam per fidem recipi, in eo tamen differunt, quod Zuingliani Cœnam non nisi in publicis cœtibus celebrant & accipiunt, quam Anabaptista etiam ad aegrotos deferunt, ut & Lutherani. Illi transcentes panem & vinum accipiunt; hi vero suo in loco quiescentes, dum ad se deferatur expectant.

V. Præcipuus eorum error, quo à reliquis hæreticis discerni solent, circa baptismum versatur, porro apud ipsos baptizandus cœtui se sistit, & in genu procumbens, fidei suæ rationem reddit, & si quo officio aut magistratû functus sit, eo se abdi-

cat. Scribit Budneus, Nobilem quendam, tutmæ ductorem, sibi notum, qui hoc modo baptizari peterit, ac si voto potiretur, officium illud numquā amplius se accepturum sit pollicitus. Si mores, & in concionibus frequentandis assiduitas probentur, omnes acclamant, Fiat, Fiat. quod si quis se opponat, & baptizando vitium aliquod aut ignorantiam fidei exprobet, Pastor tantisper abstinere, dum omnia discutiantur. Si accusator crimen non probauerit, cœtu excommunicatur. Sin nemo contradicat, Pastor sumram manu aquam capiti baptizandi inspergit, his verbis: *Baptizote in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, sine vlla alia cæremonia aut benedictione. Ad erroris vero sui defensionem, aiunt, Prædobaptismum in Ecclesia hætenus vsitatum, (b) expressio Dei verbo repugnare, neque ab Apostolis vsurpatum: sed commentum esse Nicolai, alij dicunt, Eugenij Papæ; ad salutem necessarium esse rebaptizari, quod hoc modo ad nouam vitam regeneremur. Baptismum in infantia acceptum nullius esse virtutis. Secuodum Dei verbum, prius credere aliquem debere quam baptizetur: neq; vniquam baptismi mentionem fieri, vbi non etiam fidei meatio fiat. Eunuchum Candacæ cubicularium, & Cornelium antequam baptizarentur, in Christiana fide fuisse instructos. (c) Christum dicere: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*. Necesse ergo esse ut fides & Baptismus mutuo se comitentur: nec à Seruatore nec ab Apostolis infantes vniquam baptizatos. Hæc ille fere scriptis produxerunt; quæ profecto notatu digna sunt, ut in quibus cardo nostræ salutis versatur. His non ab similia Anno MCCXXX. in Francia disputauit Petrus quidam Brulius, qui ad sanum S. Ægidij postea fuit crematus. (d) Quod si hoc fundamentum firmum est & inconculsum, omnes controuersias quæ in Ecclesia Dei incidunt, è solo Dei verbo scripto dijudicari posse & debere; sic existimo, quemadmodum Arriani olim, ita iam hac ratione Anabaptistas superiores fururos Id Lutherus ipse fateatur (e) *Concedimus*, inquit, in S. scriptura nullum textum expressum esse ad refutandum Anabaptistarum errorem, vbi scilicet dictum sit,

Bapti-

a Hortens. libr. de Anab. Cassand. Bulling. Dorp. &c. Bull. c. o. lib. 6. b Bulling. lib. 6. c. 1. & seq. fol. 285. b. & cap. 3. fol. 191. bb. iij. c. Act. 8. & 10. d Sur. com. hist. fol. 402. a. b. e Serm. cont. Anabap. & Melanph. in loc. comm. titul. de Baptismo par. 9.